

ANNUS REMISSIONIS

SEPTIMO QUOVIS ANNO

In Lege Veteri , per Moysen Israëli
piè institutus ;

IN LEGE GRATIÆ , PER GRATIÆ MATREM

DEBITORUM NEXU SOLVENDIS
DD. SODALIUM MÀNIBUS

pientius instauratus

ac

IN ANNIVERSARIIS EXEQUIIS

ALMÆ SODALITATIS LATINÆ MAJORIS

S U B T I T U L O

B. V. MARIÆ

ab Archangelo salutatæ ,

In Cæs: & Academico Collegio Societatis JESU Pragæ
ad S. Clementem erectæ , & confirmatæ ;

Funebri *Diſtione* celebratus ,

ab

Admodum Reverendo , ac Preccellenti Domino

JOANNE , WENCESLAO MEZLECKY

de Palmo - Löw AA. LL. & Philosophiæ Magistro , Sacro-
Sanctæ Theologiæ Baccalaureo Formato , Czelakovienſum Curato ;

A N N O

à TheanDrICI PartVs saCraMento

Seculi decimi septimi septimo , Mense Julio , Die

PRAGÆ , Typis Universitatis Carolo- Ferdinandæ in Collegio Societatis JESU , ad San-
ctum Clementem , Anno 1707.

Septimo Anno
Facies Remissionem,
Quia
**Annus Remissionis
est DOMINI.**

Deut: 15. v. 1.





ORATIO.



E sine locupletare loculos tuos, libitinæ loculô brevi multanda, mortalia depascens peccata auri fames: desiste, obryzô stipare thesauros, egestati posthumæ postliminio addicenda philargyræ gula, sollicitisque studijs Asiaticos acervare gemmarum partus, vacuis continuo manibus ignotam subitura regionem, prô! tandem omitte! non enim, ut reris, nummorum loculi sagaciores politiæ sunt oculi, quibus indiscreta mortis inoculetur cæcitas, ut Cræsum à Codro aulicè discernat; non est arca, nummorum pondere probè faburrata, fœderis, ut confidis, arca, cuius subinde intuitu, jurata in mortalim vitam libitina, sponzionem feriat, quod abrogatam universæ carni, decretorio Numinis consulto immortalitatem, sive saeculi dixitibus velit connivere, sive fatalem suum arcum, indiscriminatum in singulos protensum, ab istu potentium statuet arcere. Gemmas illa silicibus, carbones fardijs, trabeas lacernis, ligones sceptris, Iros Darijs miscere novit, tamque vili resplendens indicâ opulentia taxat gazophylacium, ut expungendo è mortis pugillaribus supremi agonis debito, spinosæ quantumvis opes, nec ad punctum apud ipsam opitulentur. Testor, si dictis fides negatur, ipsum ferale hoc exequiarum pegma lugubri cothurno stipantem, decalvatæ mortis ectypam imaginem. Spectate ossas hoc in theatro Amazones personatas in statuam mortes: Et jam agite amabò, quid tibi velit despoliata hæc larvæ devastatar nuditas? Quid cæca pessumdatae pupillæ orbitas? Quid deauriculatae calvariae surda deformitas? Quid eviscerati costarum cancelli? Quid denique vacillantibus innixa tibijs, exesa pedum proceritas? Nimirum hæc omnia splendidissimum

num sunt paupertinæ mortis thesaurophylacium , quō temporaneas Eyclionum gaza post fata excipere maturat . Nuditatem contexet in tunicam , cuius operimentum sunt vermes ; (a) cæcitatem accendet in lumina , quibus sepulchrales rædæ renitent ; Surditatem illustrabit inauribus , quas proreprans de cranio aspis animabit ; Emedullatas pectoris costas dilendet in loriam , quam mutuis implexi spiris angues bracteabunt ; Devastatas tibiariun suras circumplete cothurno , quem habitatus à tincis pulvis sordida aspergine concinnabit . Quid multis ? Formidate Darij , timete Cræsi , cohore relicte Assveri ! æquo pede vestras turres , pauperumque tabernas metietur . Quanquam quid antiqua jaclamus nomina ? Quid Darios , quid Cræsos ingeminamus ? adhucdum (vix mensium Senatum geminâ illustravit Dictatoria Imperator Phæbus) adhucdum olen parentalibus consumptæ lacrymis lugubres ceræ , quas magno suo Cæsari , Regum Salomon , Salomonum Regi , LEOPOLDO , inquam , Maximo fudisse nondum visa est ; justis inferijs parentans Europa , quando Ipsum Illum libitinæ videbat condescisse Imperio , cuius gloriosos Imperij fasces Rhenus , & Ister , utrique mundo latè divulgabant . Et quantumvis Augustum hoc orbis Caput meliore fato , quam Veteres illos , quos recens nominavi , à coronis purpuratæ mortalitatis , ad superum empyrei diadema , post mortis siparum abiisse confidamus , divulgatâ palam piissimi Principis sanctitate convicti ; Pervicacem tamen Libitinæ licentiam quis non horrefcat , quæ per profanas non contenta grassari plebeiorum cervices , ipsos Domini Exercituum Christos , uncias portando orbi Monarcharum scapulas solo præsumit allidere ? Sed enim toleranda etiam foret hæc , utut effrons tyranæ latrocinantis pervicacia , nisi novo horrore , quos lethali jaculo è mortalitatis limine exturbasset Manes , recentibus post fata , decumanisque angoribus inquietaret . At hoc est , quod verba excipit Oratori , quod lesibus choros , pallore aras , atrore odaea , luctibus sacraria , funeralibus Mausolea , planctibus exedras , & ipsam hanc nocti - colore pegmate funestat basilicam , quod nimirum Vatinianis infensa odijs Adæ Nepotismo libitina , posteaquam vitalis auræ debitum ad novissimum exegisset quadrantem , expulsum sedibus suis spiritum , ad tremendum , non Cæsaris Dictatoris , aut Tiberij , sed ipsius Divinæ Nemesis Prætorium jure peremptorio reum adducat , atque (vox faucibus hæret) ad severissimi Areopagi tribunal compeditum præsentet . Non poëtor hic DD. Sodales Parthenij ; Fabularem Minois urnam non fingo , non futile Æaci scrutinium , aut umbratile

Rha-

(a) *Isaie 14. v. 11.*

Rhadamanti atrium commentor. Orthodoxæ Delphi oracula sunt , quæ loqvor. Loqvor metuendum illud rigidissimæ Themidos solium, ante quod Davidicæ mutescunt citharæ , justitiæ vadimonio diffidunt Hieronymi , eleemosynarij audiunt penè usurarij , lucernis examinantur Solyntæ , creditores probantur debitores , ante quod , ut pugnô cætera stringam , libertatis filiorum DEI candidati Cives , ob nounullos ingenitæ debilitatis nævos , per complures annos banniti flammarij purgantium carcerantur Vesuvijs , & severissimo Ultionis Divinæ jugo miseranda servitute mancipantur. Heu ! Servitutem lugubrem , lucluosum mancipatum ! Atque hoc infelicissimo mancipatu compeditos hodiedum se se ingemiscunt pij Consodalium nostrorum Manes , qui , dum confusissimâ vocum congerie illam Husla i Vatis threnodiam : *Miseremini mei , miseremini mei , saltem vos Amici mei* , singultientes ingeminant , simul captivationis suæ deplorandæ luculentum occidunt argumentum , simul redemptionis lytrum , & sereniorem ab exactorio ergastulo , ad superas beatorum regias phasen , aspirare videntur. Et verò macti animis ! Examinatorio compediti rogo Manes Candidati ! *Septimo anno facies remissionem , quia annus remissionis est Domini* , (b) Divinorum pandectarum pietatis plenissimus canon est , vobis etiam hoc currente seculi decimi septimi anno septimo consecutæ postliminio optatae remissionis plurimum ominosus.

Quem ità ominosum dum hodie desumptō ex Divinis tabulis *Septennis remissionis* argumentō , per Gratiae Matrem MARIAM , non tam Tulliano stylo Orator , quām entheastico spiritu Vates demonstrare contendo , vos interim DD. Sodales Parthenij , meis etiam , quos subinde angusta dictionis supplex incurret debitorum census , liberalem parate remissionem.

Seu in evolubilem Megacosmi codicem , seu compendiosum Microcosmi volvam codicillum , in utroque utramque faciunt paginam , mysteriosæ septenarij numeri prærogativæ. In hoc annorum septimanas , septenas nempe cum Hippocrate lego ætates : Infantis , pueri , adolescentis , juvenis , viri , senioris , ac senis conterminio distinctas ; in isto per septem currentes , & recurrentes dies tempora volvi cum Aurelio colligo universa (c) In hoc tam internas , quām externas partes septenarij invenio definitas ; in isto (Philonis est percontatio) *Quæ pars erga septenarium non afficitur amore ?* In hoc , quod in animante regnum obtinet , caput harmonicis septem juncundatur organis , geminis videlicet oculis , auribus , naribus , & septimo ore ; In isto principalis portio cœlum , septem itidem gyratur in circos ,

septem Hyadum , Plejadumque decoratur choro , septem Planetarum in-
fluentis orbi dominatur . Quorum è numero sol Primicerius , septimo &
ipse signo vices variat stationum ; et jam à solsticio hyemali ad æstivum ,
jam ab æquinoctio verno ad autunmale , septimi signi peragratione prove-
hitur . Tanta est , vel apud æthereos syderum orbes , numeri hujus Divini
authoritas , & observantia . Sapientum verò elogia super hoc numero ab-
solutissimo si revolvamus , numerum hunc mundi esse natalem , numerum
DEO Sanctum Moyses , totius orbis dispensatorem , ac Dominum Pytha-
goras , complementum perfectionis Plato , rerum omnium nodum (d) Tul-
lius , symbolum universitatis Augustinus depraedican . Panegyricos sum-
mam Vates adjungit Mantuanus , dum planè , ac per omnia Beatis illud ac-
centat : *O iérque , quaiérque Beati !* Quasi verò omnibus numeris perfectam ,
beatitudinis consummata basim , non alio , quam terno , quaternoque nu-
mero , in computum reducto oporteat inniti . Quæ tanta , tamque subli-
mia numeri septimi elogia , dum mècum specularer , subito sepiam sitire
penna , papyrus esurire voces , vox proritare lingvam , lingva provocare ge-
stum occipiebat , & totus ego spei certissimæ fecurus , legalem illam Legis
veteris remissionem , in debitoribus Manibus Tuis Alma Sodalitas , hoc an-
no septimo resuscitandam , ostendere gestiebam . At en , vix operi accin-
gor , continuò ipsa , cuius confisus suppetijs dictionem meditabar , eloquentiæ
Suada , in me ityli distingere aculeum , thema in telum intorquere , pro-
positi fastidire ineptiam , stomachari audaciam , auspicatur . Vah , inquit ,
inconsultam temeritatem ! Tûne putridos vetustæ legis suscitare Manes ?
tûne funeratum Mosaici juris redanimare morticinum ? Quæ amabò devotæ
inferijs larvæ cum aurora societas ? Quis extincti titionis , in regia solis
toto meridiæ paludati valor ? Quæ ancillantis Agar post fecundatam in
Patriarchæ domo Saram authoritas ? (e) quis lippescentis Liæ post opta-
tum Rachelis connubium in Jacobo amor ? (f) quæ denique superstitionis
Synagogæ ritus in Ecclesia jurisdicçio ? Apage noctis eliminatæ umbras ,
veli discissi apage lacernas , naufraga obliterata legis facessant tabularum
fragmenta . Ità in præconceptum thema meum Suadæ effervescentis im-
petus ; quo nondum natos argumentorum Achilles supplantare conaba-
tur . Quid hic agerem ? Tela retorquere parentalis vetabat dictio ? are-
nâ cedere , demandati abs Te Alma Sodalitas muneric inhibebat provincia .
Itaque sacrum inter , & saxum , dum , quò me vertam , mente verso , ac re-
verso , entheastico repente speculabundus obruor æstro , & super nostra-
tem

(d) *De Rep. lib. 16.* (e) *Gen. 21. v. 14.* (f) *Gen. 29. v. 29.*

tem mundum in ipsa nubium convexa mentis levatus obtutu, Phidiacum,
ecce ! Rhamnusiae Nemesis referari conspicor Saerarium. Sedere isthac
pro tribunali videbatur ille, de quo Apocalypticæ clangit Aquila : *Vidi*
thronum magnum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & calum.
(g) Porro *Sedenis* latera , miræ venustatis stipabant Heroinæ ; Altera
phengite sceptro, & recluso in sinistra librō veneranda ; Altera flammæ
inter bilancem ense, oculisque condigne velatis cum tremore metuenda.
Palpitabat hic mihi ab insolita rerum facie concussum formidine pectus,
dumque *Sedenis* in throno demiror Majestatem, & adstantium splendorem
Matronarum, ecce novam rursus faciem ! Reginæ Sabæ magnificentia,
Estheris pulchritudine conspicua, coram throno se infert Imperatricis Ma-
jestas ; Et posteaquam janthini coloris indumento, aurifluâ pectoris fasciâ,
puniceo Phrygiæ paludamento, regali vultû majestate, circumfuso in
amicum sole, (h) suppedancâ in soccum lunâ *Sedenis* in throno fixisset
pupillas, his ad Arbitrum verbis perorare Oratrix divinissima exorditur.

Adsum, dicebat, in tempore tuum ad Tribunal Advocata Universi Ar-
biter Æquissime ! in tempore adsum ; Siquidem *Anno septimo, anno remis-
sionis*, debitoribus Manibus, meis in Albo Mariano Clientibus, in tristissi-
mi ergastuli moratorio debita luentibus, actura venio remissionem. Equi-
dem non ignoro, legibus nequaquam ligari Legislatores ; Tu tamen, qui
per Parthenij Uteri mei januam in mundum venisti, non legem solvere, sed
adimplere (i) Tu, inquam, quamvis lege Remissionis septennio defini-
tae, non vinciare, hodie tamen, *Anno currente Septimo*, legis Clientes ne-
xu debitorum ligatos, me patrocinante, confido, absolves. Etenim, si
legis antiquatæ rigor tam mites spirabat favonios, ut mancipatis obsequio
sexennali famulitijs *Annis septimus* pileum adferret libertinum, leporne Le-
gis Gratiae hâc prærogativâ viduetur ? Nunquid suas synagogæ fimbrias
ostro gratiarum trabeata invidebit Ecclesia ? Nunquid servilis isthæc Agar
habebit, quo sœcundatae Christianismo Saræ jaetabunda insultet ? proh !
absit istud ! quid enim ? Lex vetus, & nova, quantum divortium ! Illa,
non infior, integros arietum exercitus cædebat in holocaustum ; Ita
ipsum sub cerealibus exuvijs Divinitatem ritu incruento maëstat in Sacrifici-
umi. Illa lapidationi vix castam eximere voluit Susannam ; (k) Ita lapi-
dem mitti non sustinet in adulteram. Sub illa suspiranti Axæ flumina ex-
gurgitat, at sine mercede Caleb ; (l) sub ista frigidam quis quis sitienti

cy-

(g) *Apoc: 20. v. 11.* (h) *ibid. v. 12.* (i) *Matt: 5. v. 17.* (k) *Dan: 13.*
v. 41. (l) *Judic: 1. v. 15.*

cystis sat aquam , vestigales habet aquas , quibus Cælum alluitur . (m) Sub illa pudicitia liliū à Moabitis immune , strictusque in Pherezæos gladius , potentā , ac ollā præmiabatur ; Et comedes de spolijs hostium (n) Sub ista Virgineæ virtuti , aut syderum regia , aut cœlorum Regnum oppignoratur . Sub illa Regij Psaltis vox audita quidem est in tabernaculo pro adulterini partū vita , cælum obtestans ; sed non exauditur ; (o) Sub ista missat ponè Crucem accipiter Dismas , & tantum trahit à Cruce gratiæ , ut olores antecessisse videri poslit ; Quando , quæ purpuratus Davidis cinis non extorserat in facco , cruenta Latronis nuditas impetravit in patibulo . (p) Et tamen Illa suas annorum , mensium , ac dierum septimanas , liberalibus adeo liberaliter dotatas favoribus poterit ad ruborem istius jaçitare ? Poterit Anno septimo debitoribus remissionem , servis libertatem , Telluri sabbatum , e Babylone Solymas redditum , (q) mense vero septimo , expiationum ferias , festa tabernaculorum , memorialia , sanctaque Sabbata ; Poterit denique Die septimo Sabbathica Solennia , Pascha (r) Festivitatem ostentare ? Dum interim nova gratiæ lex , nec illis , quos misericors Justitia tua , Judex Clementissime , in purgatorij detinet ergastulo , debitoribus anno hoc septimo optatam valeat Remissionem polliceri ? Sed per me licet , citra invidiam , favorem hunc Synagogæ cedat Ecclesia , vix tamen cœtra litem cedet septenarij numeri , hoc Anno septimo , natura , cuius indoles id sanè peculiare insitum habet , ut ubi vis esse plena , ubique velit debito esse absoluta . Etenim , ut missa faciam , quæ de septenarij prærogativis ab eruditissimis mortalium disputata sunt , abundè est illud , quod divinum quid in eo suspiciebant jam olim sapientes , qui , non sñc plurimo latentis mysterij argumento , numerum illum voce sacra Septas compellavere .

Magnam etiam mundi nascentis genesim , quam senæ dies , omnipotens *Fiat* virtute obstetricabant , dies in hebdomada *septimus* placida sabbati requie terminavit ; Imò immanes cataclysmi Noëmitici aquas idem ille repressit , & fluctuanti akiflimos inter vertices Arcæ quietis alcedonia revexit . Sacrorum animalium repeto oraculum : Requievitque Arcamense *septimo* , vigefimo *septimo* die *Mensis* , super montes Armeniae (s) Ut interim non repetam , quod de eo numero anatoma Hippocratis loquitur experientia , quod Galeni loquuntur oracula , quod Jacobi pro Rachelis connubio gemitum testatur *septenarium* , quod Evangelici Reguli filio thaumaturgum horæ *septimæ* momentum convineit (t) Illud demum tacere non possum ,

nec

(m) *Matt.* 10. v. 42. (n) *Deut.* 20. v. 14. (o) 2. *Reg.* 12. v. 16. (p) *Luca* 23. v. 43. (q) 1. *Esdra*: 7. v. 7. (r) *Exod.* 13. v. 6. (s) *Gen.* 8. v. 4. (t) *Joan.* 4. v. 52.

nec debo numeri septimi Sacramentum , quòd dum in exedra Crucis ultimùm pro mundi salute divinum Verbum , Tu , inquam Ipse Arbitr̄ Aequissime perorabas , ultimam energicæ orationis , vitæ ajo periodum , hōc è septem uno mysteriosissimè consummaris verbō : *Consummatum est.*

(u) Quod vel unicum , si septemviralem numero septenario nondum addit authoritatem , nondum vim confert debitores Manes piacularibus à flammis absolvendi , conferat , addatque hanc vim meæ denique intercessionis suffragium , cui repulsam nequaquam dederis , Arbitr̄ Aequissime , nisi plūs Estheris in Assveri palatio , pro plebe reproba supplicam , quām nostram Tuo in tribunalí pro populo electo valere velis fideiunctionem . Et quandoquidem Estheris felicissimum nomen meminisse contigit , liceat porrò Reginæ hujus adeptos à Rege Marito favores laconismò perstringere . Parum erat Vaſthi Reginam à throno , & toro in ejus gratiam Assvero repudiāſſe , parum universas gynecæi charites illi polhabuisse , parum regali diadema coronāſſe , parum sybariticæ mensas Principibus , servisque suis pto conjunctione , & nuptijs ejus adornāſſe , parum regalis munificentiaæ cornucopiaæ sparsis in vasallos muneribus profudisse , nisi super hæc *Requiem* adderet (v) *Universis provincijs , requiem , inquam , à laboriosa veſtigialum ſolutione immunem , requiem tributorum ſolvendorum intermissione beatam.* (x)

Imò verò & hoc parum , niſi ad hæc supplicijs destinatae judæorum genti amplissimè privilegiatam precibus ejus vitam addonāſſet . Quām ſanè cūm donavit , illud in rem meam obſervandum reliquit ; omnia ninirum iſta nunc compendio recensita , Regis in Estherem Reginam gratiarum fluenta , Anno regnantis Assveri Septimò redundantiaſſe . *Ducta eſt itaque ad cubiculum Regis Assveri mense decimo , qui vocatur Thebet , septimo anno Regni ejus.* (y) Bene habet ! tērque quaterque aufpicatam anni septimi anatlasim notate , & plaudite debitores Manes ! jámque conspecto meæ authoritatis typo in Estherē redimendi ab ignibus Anno hoc Septimo exultate , emancipandi tripludiate . Pace tamen tua iſta dixerim Assvere divinissime , Judex Sacrosancte ! Tu age , detractō schematis velō , figuræ demotō ſipariō , genuinam in me favorabili debitoribus Manibus apodosi , Estherem ostende , atque de ea favorum magnalia , quibus me longè ſuper Estherem magnificāſti , adde quoque liberali remiſſione , Anno hoc Septimo *Requiem provincijs , Juſtitiaz tuæ veſtigialibus , adde Clementiæ indicem aurea virgā contactum , verbō :* *Dona mihi animas , pro quibus rogo , & populum meum pro quo obſecro.* (z) Illud

B

abs

(u) *Joan. 19. v. 30.* (v) *Esther. 2. v. 14.* (x) *Escobar & Mendoza ad Esther cap. 2. l. 2. comment: p. 353.* (y) *Esther. 2. v. 16.* (z) *Esther. 4. & 7. v. 3*

abs Te Tuus in me, non modò ut Sponsam, sed & Matrem exposcit amor, flagicat infinitus innaræ munificentiae thesaurus, postulat æquissima intercessionis nostræ fidejussio, precatur optimè de me meritadevotorum mihi Manium istorum fidelitas, quæ totum penè gratiarum mearum gazophylacium sibi habet obæratum. Habet, ut innumera taceam, è sabbatinorum jejuniorum ebore torneatos requietionis sabbaticæ lectulos, habet precum cimelijs exornatas septem Gaudiorum meorum curules, habet piarum lacrymarum gemmis divites septem Dolorum arcas, habet ardantis devotionis cereis accensa semptem candelabra aurea, (a) Septem nimirum per anni curriculum, dicatas meo Nomini celebriores festivitates; quarum septima cum ter auspicatæ mihi è terris in Cælum Assumptionis sit solennitas, quid nî etiam *Annus Septimus* debitoribus istis Manibus, è toediosissima particularium flamarum captivitate, optatissimæ in libertatem Filiorum DEI, transmigrationis sit festivitas?

Ità pergebat Theseis suis, Ariadnæum filum texere Divinior Advocata; sed extaseos pariter meæ rescissum repente filum, me mihi cum stupore restituit, atque ad Te Alma Sodalitas non Oratorem, verùm vatem remisit prognosticum, ut stupenda insoliti raptūs, piè quidem commenti, Marianæ tamen Clementiæ nequaquam incongrui ostenta enarrarem, illisque tam Augustissimæ Dominæ Advocatæ nostræ (quæ pro Manibus sibi Clientibus tam emphaticè perorabat) commendarem patrocinium, quām etiam filiale erga ipsam excitarem fiduciam, & Tuarum denique Alma Sodalitas lacrymarum parentalem asperginem, evictâ hoc *Anno Septimo*, ut sperarc fas est, per MARIAM Remissione temperarem. Maecte igitur animo, Alma Sodalitas! fiste lacrymas! celestfnata resüme pro nænijs, laurum cape pro cupresso, epinicia cane pro epicedijs, superias age pro inferijs, ac præ primis illis pœana accine, quos superioris anni parentalis panegyricus ex Augustissimæ Majestatis reverentia subticuit. Hos inter Primicerius immortali encomio celebrandus venit Illustrissimus, ac Excellensissimus DD. Joannes Franciscus S. R. I. Comes de Würben, & Freudenthal, Dominus in Fulnec, Stauding, Waltersdorff, Mratsch, Horzowitz &c.

Huc

(a) Escobar, & Mendoza lib. 6. de B. V. M.

Huc ades !

Heroum Fama , Famae interpres Historia ,
incide Cedro ,
Quem laureata Virtus , celavit in Cœlo .
Majores ejus nè quære ,
Aut par , aut Major Majoribus suis est ;
Quorum Ceræ ad hunc solem penè diffluxerunt ,
Dum ijs gloriam contulit , à quibus sanquinem accepit .

Vix Empyreo Czechiae ortus ,
Factus ut Sol , in ætatis aurora meridianus ,
Minora sydera extinxit , dum illustravit .
Parum Fortunæ debuit , omnia Virtuti ,
Suffragantibus meritis , non favorum calculo ,

*Sac: Cæs: Regiæque Majestatis Camerarius ,
tum Supremus Feudalium Jūdex*

Felix cum Astræa inivit connubium .
Per hunc Justitiarium stetit foro Justitia ,
Curiæ æquitas ;
à Jure ad injuriam , nunquam se passus deprimi .
Phæbus ubi nascitur , noscitur Oriens ;
Vix natus dignitatibus orientem illis dedit ,
Dum sapientiæ luce illustravit .

Cæsarum Augustissimum

LEOPOLDUM I.

Justitiâ , Providentiâ , Fidelitate coluit ,
Regnum comitate itâ sibi devinxit ,
Ut sæpe Regni Comitijs meruerit præfici

Commissarius Primus.

Illum ut Austria arctius suis obsequijs illigaret ,
Aurei Velleris innexuit catenis

Equitem , Heroëm.

Indè aureo loquebatur ore cum Gallicano ,
Majora Delphicis reddebat oracula ,

S. C. M. Consiliarius Intimus.

Patriæ Palladium.

Appellationum Præses,

Sic Magno huic præfuit Tribunali ,

Ut triumphans Virtus plauderet ,

Plangerent in compede vitia.

Magnitudinis suæ umbrâ

Minores protegens , miseros tuitus.

Supremus Regni Judex.

Justiciam servavit ut Virginem illibatam ;

Juris gladius illi effronduit in palmam ,

effloruit in laurum honoratam .

Cæca fronte Judex ,

Sinè respectu , absque affectu

Sinè manibus ad munera porrectis ,

Monstrum pulcherrimum.

Securibus , & fascibus stipabatur ,

ad periculum improborum ,

Securitatem proborum .

Terrore armata Authoritas

Etiam in potentes fulmen intorsit ,

Si quando impotentiam degluberent.

Regius Locumtenens , & Regni Præfediūs.

Tulit honores , ut præmium ,

Non ut fortunæ donum.

Inferiores humili despexit eminentiâ ,

Hoc meritus eminere ,

Quòd debito altius se non erigeret.

Supremus Regni Cancellarius.

Ità canam probavit sapientiam ,

ut excelsum ingenium.

Subjici non debuerat , nisi

Prin-

Principum Salomoni, LEOPOLDO I.

Ut Cælitibus fundaret aras , effudit arcas ,
Tunc sensu suo Dives , cum plurima Numinis causâ profunderet ;
Nunquam cum Divitibus ad metalla damnari passus
Liber animus ab affectu terrenorum .
Beneficam manum præ primis experta est hæc Sodalitas
ab anno Christi 1662 .

Bene facere non destitit
nisi cùm viverè desijt

Munificentissimus Mecenas ,
hucusque uni tantum secundus .

Maturus Cœlo dum vix haberet , quo cresceret ,
decrevit in tumulum .

Erro !

Mortem nescijt , qui Matrem habuit viventium Parentem .
Ad cujus aras

Fide Romanâ toties juravit
Sodalis foederatus .

Humile nihil habiturus , etiam in morte
Augustum mensium habuit vespillonem .
Cecidit , qui aut tardiùs , aut nunquam cadere debuisset ;
Casu tamen felici , ut fidimus :
Quia secundo , vigesima secunda die .

Ipse sibi lapis sepulchralis factus ,
Quia pretiosus Bohemicus .

Quo dum signamus sepulchrum , quasi calculo candido ,
Lumen Visionis æternum
Sodalitas M A R I A N A
tot beneficijs devincta
devotissimè apprecatur .

Huic , quem paris tenoris prosequatur opinion , se se Comitem addit
Illustrissimus , & Excellentissimus DD. FRANCISCUS, ANTONIUS
Berka S. R. I. Comes Howora de Dubba , & Leippa , Hæreditarius Domi-
nus in Datschitz , Reichenburg , Rossitz , Jablona , & Nemeslowitz &c.

Illustrissimi, & per vetusti sanguinis,
Sapientiae, & scientiae suffragio,
Perennitatem in terris meritus,

Nisi magnus æternitatis annus magnam animam sibi vendicasset.

Apud Venetos diu Cæsareus Residens.

Spontaneo exilio damnatus videri potuit,

Ut Patriæ prodeisset.

Dexteritate, agendo grandia:

Prudentiâ, prævidendo futura:

Comitate, animos vinculando,

id egit,

Ut Serenissimæ Rei-publicæ amorem

Utilitati Cæsarea foederaret.

Quà quà incessit, honor euntem sequebatur,

Meritorum impedio conductus.

Sacrae Cæsareæ Regiæque Majestatis Camerarius,
& Intimus Confiliarius.

Implicata explicuit,

Involuta evolvit,

Obscura illustravit

Confilio sapienti.

Regni Locumtenens,
Judicij Provincialis Assessor,

Supremus Mareschallus,

Honoris adyta reclusit sibi clave aurea Virtutis,

Grandis annis, grandior meritis,

Non tam illorum, quàm istorum

Ponderi succubuit.

Felix vixit, felicius devixit

Viennæ 25. Aprilis.

Tertium cui superias agas, habes Alma Sodalitas Reverendissimum, &
Illustrissimum DD. LEOPOLDUM L. B. de, & in Tharoull Dominum in Su-
per: & Infer: Pacolowitz.

Quàm rarô, tam charô foedere

Ma-

Magnæ virtuti Eximiam Scientiam sociavit,
SS. Theologiæ Doctor,
Cathedralis Ecclesiæ VV ratislavensis
Prælatus, Cancellarius.

Collegiatæ ad S. Crucem ibidem

Canonicus.

Aulæ Episcopalis per circulum inferiorem

Judex.

Mortalitatem 7. Octobris exuit,

Immortalium Contubernalis,

Hinc illæ lacrymæ!

Pupillorum, Viduarum, Affictorum;

Etiamnum Patrem suum ingeminant,

Et quoties nominant, ingemiscunt.

Proscripsit à palato delicias,

à Vita vitia,

Ab arca divitias,

ut plura egenis transcriberet,

Opes profunderet in inopes;

Multa possidere visus est,

habuit nihil.

Pauper opibus, omnibus in pauperes erogatis,

Solâ Dives Munificentia.

Mortuum prosecuti sunt lacrymis,

Quas vivens desiccabat

Sol LEOPOLDUS.

Nec exoratus indigis exoriri solitus.

Siste gemitus Parentalis dolor!

Videri à miseria desijt, sed non illis vivere,

Benefacit post mortem

Fundator Munificentissimus;

Conjice quantum benefecerit vivis!

Insper-

Insperge de mortui cineribus lacrymas
Egenorum turba !
His stillis, velut stellis occiduo soli tuo
parenta.

Aligerum chorus poeanem accinat, noménque, ac memoriam in benedictione recolat Reverendissimi, ac Venerabilis Domini Gabrielis, Eliæ Opitz :

Erat Is
Genio, & ingenio Angelus,
Officijs in Beatissimam V. MARIAM Archangelus,
Religionis, scientiae, & illustrium dotum calculo
Cathedralis Ecclesiae Litomericensis

Canonicus.

Per partem districtus Litomericensis

Vicarius Foraneus.

Potens verbo, potentior exemplo
docuit, & fecit.

Magnus pro Sacris rostris Orator,
Voci suæ addidit vocem Virtutis.

Vita Illi virtutum via,
à qua deviavit nunquam,
Constanti probavit exemplo
Constantiam vitæ exemplaris ;

In egenos manus Illi nunquam clausa,
In sua superflua commoda nunquam aperta ;
Auream venerata fuit Sodalitas,
dum beneficam experta.

Auream jecit sementem in Agro MARIANO,
Ut aurea messis Gloriæ Ei surgeret,
Insignis congregationis Benefactor,
Messelm in æternitatis horrea intulit,
Cum mortis falce succisus vivis excessit
Oberlibichij 18. Novembri.

Demum, cuius merita Cælestes ferant ad sydera Cygni, est Prænobilis,
ac Generolus Dominus Martinus Wetzker à Neidenstein, Regiarum Ber-
narum in Castro Pragensi supremus Scriba emeritus. Utra-

Urraque pagina non sufficeret elogio,
stringo compendio.

Erroris naturam damno !

Virum ferreo saeculo addixit,
aureo destinatum,
caelesti natum,
æterno dignum.

Ab aureæ ætatis sinceritate,
Veterano candore,
notus Pragenæ Urbi.
notior caelesti Orbi,
à Mariana Pietate,
á vita virtutum professoria.

Timorem Numinis in teneris amplexus,
nunquam dimisit à complexu.

Illatam mundo innocentiam,
Illibatam credimus mundo extulisse ;
Suadet hujus fidem , & persuadet :
Honestas , modestia , gravitas &c.

Civili mundo merito in exemplar statuenda.

In Viro Prænobili
Nihil plebejum vidit censor oculus.

Vita ad normam Christianæ legis probata.

Veteranos erudiebat,
Juvenum mores facundo silentio castigabat.

Sodalis Confoederatus
Quam accuratè ex pacto Mariano debitum persolverit,
testantur Chyrographa
manu diligenti conscripta.

Suos Concives revilit
Ex Choro Virtutum Angelus,
Dum 25. Januarij mortalibus excessit.

ATque cum hoc mea quoque , nè cancellis suis excellisse videatur , è pulpite excedat Oratio . Etenim , si rehquorum Mánium Tuorum , Alma Sodalitas , Illustribus Nominibus , etiam strictioris epidicticæ laconismus , syllabum hunc insigniat , justi voluminis limites excedat , est necesse.

necessè. Quod tamen, ineritis quidem tantis insufficienti, at libenti age-
ret impediò, nisi eximia multorum modestia, omnium superstes, etiam-
num post funera, erga Te pietas, manum à tabula, calamum à pagina re-
movere juberet. Modestia quidem : Quia in claustris Religiosis sub um-
bra humilitatis avens delitescere, si non delituit, semper voluit. Pietas
verò : Quia non abs re metuit, ut nè motis tot, tantisque cineribus, eæ
laudum reviviscant scintillæ, quas Tu dolenti lacrymarum aspergine irro-
rare cogaris.

Quare parebo Modestiae, Vestræ parebo Pietati Manes pientissimi.
Aderit tempus, quô pientissima erga Vos Advocata, sicut optatam *Anno*
hoc Septimo, apud Divinæ Nemesis tribunal, efficaciter, ut confidimus,
singulis evicit *Remissionem*, ità singulari adeò singulorum pietati, atque
modestiae, Ipsa olim *Anno septimo*, æternæ, inquam, *Requitionis Sabbato*,
in cœlestis Jerusalēm Basilica gloriosissimum dicet elogasticum. Quod
dum & nos de pietate Ejus speramus DD. Sodales Parthenij, vota
panegyrico conclusa, coronemus, Eidemque grati, fidique
Eucharisticon dicemus.

Dixi,

